

lingerode intermedios inter me et providos viros cives Mulhusenses taliter esse ordinatum, quod cum eisdem civibus super omni dissensione inter nos habita et cum illis, qui plebanum de Eberolderode capellanum domini mei predicti interfecerunt, pro tali homicidio perpetrato ac cum villanis de Eygenrode et Eberolderode ac aliis villanis ad iurisdictionem dictorum civium pertinentibus compositionem et amicitiam habere debeo et volo, pro quibus presentibus me astringo. Si eciam aliquis meus successor perpetratores dicti homicidii pro ipso vellet inposterum impugnare, hec (!) fieri non debet, quia mecum est expeditum nomine domini mei supra dicti. Et in signum premissorum presens scriptum meo sigillo feci consignari. Datum anno domini MCCC° nono, quinto Ydus Ianuarii.

Or. im M. A., Sgl. erh.

1309 Jan. 15.

601.

*Sühnevertrag der von Uslar und der von Bülzingsleben mit der Stadt Mühlhausen.*

Nos Alfricus, Heydenricus, Hermannus, Ernestus dicti de Uslaria, Reynhardus de Bulzingsleyben una cum filiis quondam domini Hermanni militis de Uslaria recognoscimus publice in hiis scriptis, quod cum providis . . . consulibus et universis civibus in Mulhusen necnon ad ipsorum iurisdictionem pertinentibus veram et rectam suam super omnibus controversiis, que inter nos et dictos cives vertebantur, habere volumus et servare promittimus omni dolo et fraude postpositis, pro qua nos presentibus fide prestita obligamus dantes in signum huius hanc litteram nostris sigillis videlicet Alfrici, Hermanni et Ernesti consignatam. Et nos Reynhardus ac filii Hermanni militis predicti propter carenciam sigillorum priorum sigillo domini Syffridi de Bulzingsleyben usi sumus, quod presentibus in recognitionem premissorum est appensum. Datum anno domini MCCC° nono, XVIII. Kal. Februarii.

Or. im M. A., die angezeigten Sgl. meist wohlerhalten, das letzte abgef.

1309 Febr. 3.

602.

*Der römische König Heinrich VII. erneuert und bestätigt der Stadt Mühlhausen die Privilegien seiner Vorgänger.*

Heinricus dei gracia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus ad quos presentes pervenerint gratiam suam et omne bonum. Ad hoc in solio regie dignitatis constituti sumus divinitus, ut cunctis subiectis et fidelibus imperii ad augmentum honoris et commodi sui regalis magnificencie benivolenciam prebeamus. Tunc quoque salubriter et iuste presidere nos credimus, dum quod iustum et honestum existit devote postulantis largimur et eosdem in suis iuribus favorabiliter conservamus. Cum itaque dilecti et fideles nostri . . . cives Mulhusenses nostre maiestatis acce-